

carrunt (1). Verum quoque est in eodem cranio observari magnam depressionem verticalem, et arcus superciliorum plus aequo evolutos, sed haec esse potuit peculiaritas, fortasse morbosa, illius individui, quemadmodum observarunt Busk, et Davis, qui etiam similem anomaliam ostendit in cranio recenti cuiusdam Angli. Nec defuerant docti naturalistae qui cranium Neanderthalense compararunt vel cum cranio Hottentoti, vel cum Australensis, vel cum craniis Celtarum aut Danorum, denique Mayer satis festive contendit illud esse cranium militis Cosachi occisi an. 1844. Haec sufficient ad omnem vim praedicto argumento detrahendam (2).

Resp. ad 4<sup>m</sup> ex linguarum varietate et independentia. Haec obiectio vix amplius proponi solet post recentes progressus *linguisticae*, seu studii comparativi linguarum. Initio enim huiusmodi studium difficultatem peperit ob ingentem linguarum numerum, quae prorsus independentes ad invicem apparebant, ideoque communem hominum originem excludere videbantur. Verum quod in aliis etiam studiis accidisse vidimus, etiam in hoc factum est, ut scilicet posteriores eius progressus difficultatibus ab ipso olim generatis dissolvendis inserverint. Sane docti philologi animadvertere coeperunt affinitatem inter plures linguas existentem, quas ideo in varias familias distribuerunt. Rursum inter familias et familias similitudo et cognatio apparere coepit, praesertim postquam non solum materiales voces inter se comparatae sunt, ut olim fieri solebat, sed etiam formalis linguarum pars, et intus veluti organismus, ut recentiores philologi Jones, Wilson, Burnouf, Bopp, Ewald, et imprimis hodiernae *linguisticae* coryphaeus Max Müller summa eruditione et accuratissima indagine praestiterunt. Ita sensim sine sensu factum est ut generales quaedam familiae, seu *stirpes* inventae fuerint, ad quas omnes Orbis linguae revocantur (3). Denique inter

(1) Calori: *Del tipo Brachicefalico negli Italiani odierni* - Memoria letta all'Accademia dell'Istituto ai 12 Novembre 1868 Bologna.

(2) Huiusmodi animadversiones tam evidentes sunt ut multi, inter quos ipse Prof. Mengozzi, in saepius memorato *Conventu praehistorico Bononiensi* dubitationes suas de valore argumenti ex craniologia desumpti proposerint, quo factum est ut haec quaestio ad aliud tempus fuerit remissa.

(3) Duae praecipuae sunt 1<sup>a</sup> *Stirps Semitica* quae in tres principales ramos dividitur scilicet *Hebraicum, Aramicum et Arabicum*, 2<sup>a</sup> *Stirps Indo-Germanica*, quem alii *Indo-Europaeam*, alii *Sanskriticam*, alii *Aryanam* vocant, et complectitur plures linguas Indicas, et fere omnes

ipsas generales stirpes, quae paucissimae sunt, similitudo et affinitas detecta est, ut expresse fatentur laudatus Müller aliqui hodierni philologi, atque ita tandem aliquando factum est ut communis hominum origo ex vestigiis primaevae communis linguae, per philologiam comparatam, non solum praeter, sed aliquando etiam contra philologorum intentionem rursus confirmaretur. Notandum tamen est, quod licet linguae ex una parte communem aliquam originem prodant, quod pro nostro argumento sufficit, ex alia tamen parte tantam varietatem, et tam profundas differentias praesecerunt, ut earum omnium formatio ex solo naturali rerum cursu explicari nequeat. Verum id dum argumentum nostrum in suo robore relinquit, insuper novam confirmationem suppeditat pro veritate alterius narrationis Mosaicæ, scilicet de turris Babelica, et linguarum confusione (Gen. X, 1-9), cum scilicet non novae linguae creatae sunt, sed potius ex una communi lingua per *confusionem* (ib. vv. 7, 9) plures emeruerunt, aliquo prioris vestigio relicto, ex quibus linguis *matribus* seu *matricibus* reliquae omnes deinceps formatae sunt (1).

Resp. ad 5<sup>m</sup> desumptum ex impossibilitate migrandi in Americam, insulas Oceani etc. Adversarii huiusmodi impossibilitatem ostendere non possunt: imo id possibile fuisse, et etiam revera factum esse facile ostenditur. Et primo quidem si loquamur de primitiva hominum diffusione ante diluvium adversarii nihil habent quod proferant. Quis enim scit quanam fuerit regionum dispositio ante diluvium, quanam terrarum et marium distributio? Plures enim existimant haec omnia immutata fuisse per diluvium universale. Frequentes etiam terrarum elevationes et depressiones in prima illa aetate geologi admittunt. Quare multo facilius esse potuit priscis hominibus ex Asia in Americam aliasque mundi partes pervenire sive terrestri itinere, sive tantum brevi maris tractu transmeato. Si vero loquamur de secunda hominum diffusione ex familia Noë, et ex orientali aliqua regione, ubi illa considerat post

Europae linguas tum viventes tum mortuas. Plures nunc addunt 3<sup>am</sup> *Stirpem Turanicam* ad quam referunt linguas Sinensem, Mongolicam, Siamensem aliasque extremi Orientis, nec non Finnicam, Turicam etc.

(1) De hoc toto argumento consule Card. Wiseman Op. cit. Confer. I et II, et prae ceteris laudatum Müller: *Lectures on the science of language* 5th edit. Lond. 1866 et eorundem praelectionum *Seriem secundam* Lond. 1868.

diluvium, adhuc tamen difficultas solvi potest. Etenim geographis notum est Asiam superiorem ab America angusto tantum freto seiunctam esse, itemque ex Europa Septentrionali in Americam per Islandiam et Groenlandiam facilem esse transitum (1). Quare impossibile non erat hominibus ex Asia vel ex Europa in Americam contendere praesertim cum constet Groenlandiam nunc squallidam et perpetua glacie horridam olim cultiorem et mitioris climatis fuisse, quod ipsa regionis appellatio innuit, idemque de Siberia dici possit. Sed praeterea cur non potuissent homines per Oceanum Pacificum ex Asia in varias eiusdem Oceani insulas, et tandem in Americam Meridionalem migrare cum insulae ibi frequentissimae occurrant, et non multum inter se distent? Ars enim navigandi antiquissima est et, ut videtur, exemplo Arcae Noë statim post diluvium ab hominibus adhibita fuit. Ceterum sive una sive altera ratione homines ex Asia in Americam venisse positive ostenditur 1° ex indigenarum Americae physica constitutione, quae multa cum Asiaticis communia habet, 2° ex idiomatum affinitate cum linguis Semiticis, 3° ex traditionibus et ritibus apud Americanos inventis, quorum pars ex Asiaticis gentibus evidenter derivata est, ut ex. gr. circumcisio apud Mexicanos, Sabbatum, annus Iubilaei et alia huiusmodi. 4° Etiam observatum est a Mitchell et aliis canem Siberiae eundem prorsus esse ac canem Americae Septentrionalis. Ex quibus omnibus primum est concludere primitivos Americanos Asiaticae originis esse (2).

(1) Ad Asiam quod attinet angustum fretum *Behring* separat Siberiam Orientalem ab ea parte Americae Septentrionalis quae olim dicebatur *America Russica*, nunc autem ad Status Unidos pertinet sub nomine *territorii Alaska*. Paulo inferius etiam patet via ex peninsula *Kamtschatka* eiusdem Siberiae Orientalis in parvam peninsulam *Alaska* praedictae regionis Americanae adexam: quamvis enim inter duas peninsulas satis amplus maris tractus interiaceat, insulae tamen *Aleutinae* catenam quamdam, ut ita dicam, conjunctionis efformant inter duo extrema. Imo non desunt geographi qui contendunt olim continuum terrae tractum eas constituisse, quo Asia cum America in ea parte connecteretur. (V. Colton's, *General Atlas*, New-York 1868. N. 17.)

(2) Legi possunt de hoc argumento ea quae docte scribit Humboldt in suis *Tableaux de la Nature*, et *Vue des Cordilleres*, et speciale opus *Sam: L. Mitchell* Prof. Neo-Eboracensis ad ostendendam originem Asiaticam Americanorum: item opus *Kracheninnikow: Histoire du Kamtschatka*. Par. II, Cap. 10.

Et haec satis sint de veritate Mosaicae cosmogoniae sive quod pertinet ad mundi materialis, sive quod ad hominis originem.

Quaestio II<sup>a</sup> De Diluvio, et Arca Noë.

Post ea quae respiciunt mundi et hominis originem nihil est quod acrius impugnent rationalistae et increduli quam historiam Diluvii prout a Moysse narratur a cap. VI usque ad IX libri Geneseos. Absurdum eis videtur tantam aquarum copiam de coelo ruisse ut totum orbem submergeret; absurdae circumstantiae quae huiusmodi catastrophae comitatae fuisse dicuntur; prae caeteris vero absurdissimus modus, quo Noë eiusque familia incolumes servati sunt. Ex antiquioribus incredulis Voltairius totam narrationem sugillat et consueti sua levitate in ridiculum vertit, ex hodiernis vero rationalistis vix ullus invenitur qui vel facti substantiam vel saltem eius adiuncta ut historice vera admittat. Dicunt enim hunc esse mythum ex populari traditione acceptum quemadmodum similes Graecorum fabulae de diluvio Ogygis, aut Deucalionis. Speciatim nominandus hic est Anglicanus G. Colenso in saepius citato opere *De Pentateucho et libro Iosue*, qui totam historiam diluvii inter fabulas amandat, imo ex eius absurditate dicit se permotum fuisse ad reliquas Pentateuchi narrationes *critice* expendendas. Narrat enim se cum in sua dioecesi (Natal in Africa) versioni libri Geneseos in linguam illius gentis conficiendae operam daret ita commotum fuisse subita indigenae cuiusdam interrogatione, an ipse revera crederet diluvium eo modo accidisse quo in Genesi narratur, ut, conscientia dictante, concluderet se fidem iis adhibere non posse: dein vero diligentiori *critico examine* instituto ad hanc conclusionem devenisse, non solum Genesim, sed etiam reliquos Pentateuchi libros, nec non librum Iosue, et alios historicos V. T. spurios et erroribus repletos esse (1).

Contra hos omnes Mosaicam diluvii historiam in sequenti Thesi propugnabimus.

(1) Vid. op. cit. *The Pentateuch and Book of Iosue critically examined*. Tom. I *Preface* Pag. VII, 2. Edit. 1862. Quoniam de hoc opere saepius mentionem fecimus inutile non erit animadvertere in illo magnam rerum confusionem deprehendi, et farraginem minutiarum plerumque ex grammatica et philologia desumptarum, quibus auctor conatur evertere aut in

THESIS XXXIX.

*Perperam contendunt increduli et rationalistae narrationem de universali diluvio, et de mirabili ratione qua pauci homines in arca servati sunt prout in Genesi VI-IX legitur, sive in factorum substantia, sive in suis adiunctis spectatam, absurdam ac fabulosam esse.*

Narrationis Mosaicae summa haec est. Cum iam a multis saeculis homines terram incolerent, et in incredibilem morum corruptionem delapsi fuissent decrevit Deus mundum aquis submergere, et homines ipsos cum animalibus exterminare: simul vero futurae generis humani, et animalium propagationi prospiciens iustum Noë cum tribus filiis eorumque uxoribus, nec non animalium speciebus servare voluit. Itaque Noë ante centum annos de futura mundi catastrophe praemonetur, simulque ei praecipitur ut amplissimam arcam ex arboribus conficiat ad suae familiae, et animalium perfrugium. Noë iussa exequitur caeteris hominibus fidem eius praedictioni recusantibus. Completo opere, iubetur Noë cum familia et certis animalium capitibus, cum sufficienti quoque cibariorum copia arcam ingredi. Quo facto tanta aquarum vis toto quadraginta dierum spatio in terram immissa est, ut omnes homines et animalia interierint, et centum quinquaginta diebus aquae montium cacumina superaverint, arca interim desuper vecta. Imminutis deinde paulatim aquis, et arca super montes Armeniae consistente, Noë post corvi et columbae emissionem ex arca cum suis egreditur, oblatoque sacrificio, promissionem a Deo accipit simile flagellum nunquam deinceps in homines immittendum fore, cuius promissionis signum arcus coelestis seu iris futurum sit.

In hac historia duo sunt praecipue ab adversariis impugnata,

dubium revocare clarissima hebraicae historiae facta praesertim prodigiosa. De scriptorum epocha levissimis coniecturis innixus temere iudicium pronunciat adversus constantem traditionem et antiquissimorum testium auctoritatem. Titulus operis de *Pentateucho* tantum et de *libro Iosue* mentionem facit, verum in operis decursa alios etiam libros V. T. expendit et impugnat; imo difficile negotium est etiam cum *indiciis* auxilio reperire ubi nam, et qua occasione de *libro Iosue* loquatur.

et a nobis defendenda. 1° Scilicet aquarum diluvium, 2° modus quo homines et animalia servata sunt, per arcam scilicet Noëticam. De utroque facto seorsim claritatis gratia disseremus afferentes primo adversariorum cavillationes, deinde vero facti veritatem defendentes et contrarias rationes solventes.

*Pars I.* De facto diluvii, eiusque adiunctis.

A. Proponuntur adversariorum obiectiones.

*Obiic. 1° copiam aquarum,* quae in Moysi narratione supponitur, incredibilem esse. Scimus enim pluviam ex terrestrium aquarum evaporatione originem habere, unde sequitur non plus aquae in terram decidere posse quam in ipso terrarum orbe antea continebatur. Unde ergo tanta aquarum copia ut totam terrae superficiem tegetet, et quidem ita ut quindecim cubitis supra vertices altissimorum montium ascenderet (Gen. VII, 19-20)? Si autem dicatur novas aquas creatas fuisse, et postea destructas, id non solum quia gratis asseritur, sed etiam utpote antiphilosophicum negaretur.

*Obiic. 2° Ipse finis diluvii iuxta Moysen,* excludit eiusdem diluvii veritatem. Siquidem Moyses narrat Deum immississe diluvium ut corruptum genus humanum perderet. Iamvero humanum genus tunc temporis in solo Oriente continebatur: cur igitur debuisset totus terrarum orbis submergi?

*Obiic. 3° vestigia diluvii* non in omnibus regionibus inveniri, et quo magis Occidentem versus progredimur eo minus occurrant, donec in extremo Occidente ex. gr. in America, prorsus desint. Ubi vero eadem reperta sunt, uti ex. gr. tractus fossilium marinorum (crustacea, pisces etc.) non videntur constituere argumentum ullius valoris pro facto diluvii. Possunt enim aliunde explicari, puta ex maris lenta translocatione, aut ex terrarum successiva emersione ex sinu maris, quae sunt phaenomena a recentioribus geologis unanimi consensu admissa.

*Obiic. 4° Numerum hominum* qui paulo post suppositum diluvium terram inhabitasse feruntur incredibile omnino reddit universum hominum genus in praedicta catastrophe perisse. Sane uno vel altero saeculo post Mosaicum diluvium florentissimas, et numerosissimas gentes in variis terrae partibus exstitisse historia refert ex. gr. Sinenses, Chaldaeos, Assyrios, Aegyptios etc. In solo Aegypto tanta fuit hominum multitudo et viginti mille urbes iis capiendis vix sufficienter. Ita Freret citans auctoritatem D. Languet pro Aegypto.

Et haec quidem contra ipsam facti substantiam. Ad circumstantias vero quod pertinet

*Obit.* 5. *Columba* a Noë dimissa dicitur ad arcam rediisse ferrens *virentem ramum oleae* (Gen. VII, 11). Porro, inquit Voltaire, ubinam columba ramum illum invenire potuit? Etenim in regione Armeniae, ubi tunc arca consererat, oleae non crescunt, teste Tournefort, et etiamsi fuissent tamen nec oleae, nec aliae quaevis arbores sub tanta aquarum mole post integram annum virescere poterant.

*Obit.* 6. *Iris* (Gen. IX, 13 seq.) a Deo creata dicitur ut esset signum divinae promissionis de non iterando diluvio. Atqui iris etiam ante diluvium apparere debuit cum nihil aliud sit quam naturale et necessarium phaenomenon lucis.

*Obit.* 7. Finito diluvio homines et animantia exiisse dicuntur, et ab iis species iterum propagatae fuisse, et per omnes orbis regiones disseminatae. Porro hic multa absurda occurrunt. Primo enim ubinam animantia cibum invenire poterant in terra aquis vastata, et limo et corruptis corporibus cooperta? Si autem belluae invicem se devorantur actum est de plurium specierum praesertim domesticarum et cicurum conservatione. Deinde si supponamus omnes illas belluas superstites evasisse quomodo nam potuerunt ex montibus Armeniae, unde profectae sunt ad dissitas regiones ultra montes, et maria, et trans Oceanum pervenire, ubi nunc omnis generis animantia reperiuntur?

B. Defenditur veritas historica diluvii Mosaiici.

Nonnulli religionis apologistae praecedentibus difficultatibus deterriti affirmarunt Diluvium Mosaicum proprie universale non fuisse, nec verba sacri textus id certo demonstrare. Observant enim phrases illas *superficiem terrae, montes excelsi sub universo coelo*, et alia huiusmodi aliquando in sacris Scripturis minus proprie usurpari, seu hyperbolice pro magno terrarum tractu. Disputatum est inter Theologos an possit haec sententia salva fide teneri. Qui hoc affirmant, animadvertunt nullam adhuc solemne Ecclesiae iudicium pronunciatam esse, quo praecipitur fides in absolutam universalitatem diluvii. Verum quidem est opusculum Vossii an. 1686 fuisse a Sacra Congr. Indicis damnatum, in quo defendebatur opinio de partiali et locali diluvio: attamen notandum est quod legitur in vita P. Mabillonii in praef. T. I. Annal. Benedictin. scilicet doctum

hunc virum, cum Romae adesset praecedente anno 1683, consultum fuisse a patribus Cardinalibus illius Congregationis de praefata Vossii sententia, quam ipsi damnare parabant, eum vero respondisse, omnibus perpensis, non posse huiusmodi opinionem uti haereticam absolute damnari, et hac de causa damnationem illam suspensam fuisse. Et quamvis anno insequente opus Vossii in Indicem librorum prohibitorum relatum fuerit, certo tamen non constat praecise causa praedictae opinionis de diluvio damnatum fuisse.

Attamen ex alia parte tot et tam gravia argumenta pro diluvii universalitate militant, ut ea ab orthodoxis unanimi fere consensu defendatur. Quapropter ita de hac quaestione statuendum videtur: universalitas diluvii omnino defendenda est nisi certae et evidentes rationes afferantur quae contrarium demonstrent. Quapropter indicabimus imprimis argumenta quae universale diluvium ostendunt, deinde vero expendemus adversariorum difficultates, quas videbimus non ita graves esse ut necessario nos cogant a communi et vera sententia discedere. Itaque praefatae sententiae Vossii obstat 1° Textus narrationis Mosaiicae, ubi clarissime indicatur diluvium vere universale fuisse: ita Gen. VI, 13, VII, 15, 19–23, VIII, 9, X, 3, etc. quibus consonat S. Petrus in 2° Epistola III, 6 inquam in diluvio *mundum aqua inundatum peritisse*. Nec valet quod adversarii dicebant generales istas expressiones aliquando in Scripturis hyperbolice accipiendas esse: etenim quamvis hoc verum sit non sunt tamen istae hyperbolae temere et ad libitum supponendae, sed verba in proprio sensu accipienda sunt nisi contrarium constet sive ex contextu, sive ex rei natura, ut fit in exemplis quae ab adversariis adduci solent. Verum in casu nostro non solum nihil occurrit quod iubeat verborum sensum restringere, sed e contra omnia conspirant in literalem verborum sensum. Sane 2° circumstantiae a Moysae narratae restrictionem illam excludunt. Et imprimis ipsa constructio arcae a Deo praecepta tamquam unicum effugium ab universali excidio ostendit diluvium universam terram occupasse. Si enim pars tantum terrae inundata fuisset et non omnes regiones, sufficiebat ut Noë cum suis in alias terras migraret ut incolam evaderet. Idem apparet ex fine diluvii qui fuit non tantum homines sed etiam animantia perdere. Ad quem finem non satis fuisset alicuius regionis submersio cum homines, et

multo magis animalia, aut saltem volucres, in dissitis etiam regionibus sparsi essent, aut saltem volucres, in dissitis etiam regionibus sparsi essent, aut illic facile aufugere possent. Accedit 3<sup>o</sup> lex hydrostatica quae in adversariorum hypothesi servari non potest. Dicitur enim Gen. VII, 20 aquas superasse quindecim cubitis altissimos montes, ibique centum quadraginta diebus mansisse (ib. v. 24). Si autem aliqua pars terrae ab aquis immunis fuisset aquae illae ob legem aequilibrii necessario descendere debuissent ad illas occupandas, et absolum esset supponere eas super montes veluti suspensas haesisse. Atque ita adversarii dum conantur supposita absurda vitare, in alia graviora et certiora incurrunt. Accedit 4<sup>o</sup> consensus sanctorum Patrum et interpretum qui diluvium Mosaicum ad universum orbem pertinuisse tamquam certum supponunt. Quibus addi possunt traditiones populorum, apud quos omnes memoria universalis diluvii servata est, nec non observationes geologicae quae in omnibus terrae partibus vestigia diluvii exhibent. Sed de his paulo post dicemus. Interim concludimus diluvium omnino universale fuisse, et eo admissio, parati sumus adversariorum argumentis respondere.

Antequam vero ad solutionem obiectionum veniamus nonnulla breviter exponemus ad historicam certitudinem diluvii demonstrandam. Omnia argumenta ad duo capita revocabimus scilicet 1<sup>o</sup> Argumenta historica, 2<sup>o</sup> Argumenta physica.

1<sup>o</sup> Argumenta historica revocari possunt ad duas classes. Vel enim desumuntur ex populorum traditionibus, vel ex historicis testimoniis apud antiquos scriptores aut in vetustis monumentis extantibus.

1<sup>a</sup> Ad traditiones quod pertinet omnes paene gentes memoriam aliquam universalis diluvii conservasse videntur. Ita apud Sinenses in quorum sacris libris narratur totum orbem aquis submersum fuisse et circa tempus quo Sinensium imperium originem habuit Deus Iao representatur in aquis expellendis et terra exsiccanda occupatus (Vid. Chiu Hing Lib. I. V.). Item apud Indos factum diluvii ita narratur: Dum tota hominum stirps corrupta esset, exceptis septem Richis (sanctis Indorum patriarchis), et Satyavrata principe tunc regnante, Brahma sub forma piscis huic apparuit, et proximum diluvium et omnium animalium exterminium praenunciavit simul iubens ut solidam et ingentem navim construeret, in qua ipse

cum septem Richis et plantarum seminibus servarentur. Quod vera factum est, et navis in sublime elata ab aquis diluvii denique super alto vertice montium Hiranam substitit, ubi postea Vishnou superstitibus illis patriarchis apparuit, eoque de religione ac moribus multa docuit (Vide W. Iones in *Asiatic Researches* to. II, et compendium Indici operis *Magabarata* — *Bagavadam* translatum a N. Pautier in *Revue de Paris* 1832). Apud Aegyptios similem traditionem exitisse apparet ex relatione sacerdotis Saidici (in Aegypto superiore) facta Soloni apud Platonem in Timaeo §. 22, 23. — Apud Persas simile quid legitur in eorum *Bun-dehesc*, ubi narratur totum orbem aquis submersum fuisse, et omnia corpora perisse; post quae iterum aquae in suum locum reversae sunt. — Similia occurrunt apud Tibetanos (Vid. laudatum Iones op. cit. T. I.) et apud Tartaros (ib. et apud Malte-brun, *Précis de Geographie* L. 60). Quin etiam in novo mundo traditiones de diluvio inventae sunt apud indigenos Mexicanos, et Peruvianos. Mexicani enim credebant mundum olim aquis vastatum fuisse, et homines submersos ob peccata contra Deos commissa, septem tamen homines incolumes evasisse (Pedro De los Rios apud Humboldt: *Vues des Cordilleres* pag. 114), Peruviani autem eandem memoriam servabant, ut testatur Lopez de Gomara, Acosta alique qui de eorum historia scripserunt. Etiam apud indigenas Cubanos, et apud tribus barbaras Americae septentrionalis vestigia eiusdem traditionis inventa sunt (Herrera Hist. Nat. des Indes L. IX. C. 4, Garcilasso de la Vega Hist. de los Incas P. I C. 1). Graecorum traditio de diluvio Deucalionis, et de modo quo Nodimus Licaonis filius ex eo evasit cum uxore Pyrrha omnibus nota est; nec obstat quod apud Graecos plura diluvia commemorari videantur ut Ogygis, Achiloi, Deucalionis, etc. siquidem, ut ipse incredulus Boulanger fatetur, haec non sunt nisi vestigia unius eiusdemque facti cuius memoria in diversis Graeciae provinciis cum aliqua diversitate circumstantiarum conservata est. Verum nullae sunt gentes quarum testimonium magis expressum sit et ad rem nostram accommodatum, quam Chaldaei in quorum regione fortasse familia Noë vivebat, et Armeni in quorum montibus Arca Noë substituisse dicitur (Gen. VIII. 4). Ad Chaldaeos quod attinet praeter scripta testimonia et monumenta, de quibus mox dicemus, certum est apud eos usque ab immemorabili aetate traditionem de diluvio et arca exitisse, ut apparet ex testimonio Be-

rosi sacerdotis Chaldaei apud Alexandrum Polyhistorem citatum a Georgio Syncello, et ex ipsius Berosi fragmentis. Armenorum vero traditio clarissima est. Constat haec imprimis ex testimonio Moysis Chorenensis Armeniae historiae scriptoris doctissimi, qui saeculo V floruit, et tum vetustas suae gentis traditiones diligentissime conquisivit, tum antiquiores scriptores excerptis, et prae caeteris quemdam Mar Apas Gadina auctorem qui duobus circiter ante Christum saeculis floruerat. Is itaque Gadina aliique a Chorensi citati mentionem faciunt de Armenorum traditione circa diluuium et arcam quam dicunt in suis montibus consedissee (1). Confirmant hanc Armenorum traditionem Berosus apud Iosephum Flavium Antiq. l. III. 6, qui etiam narrat reliquias arcae Noëticae ab Armenis servatas fuisse, et apud Eusebium Praep. Evang. L. IX C. 11: « Atque huius navigii (arcae Noë), inquit, etiam num partem aliquam in Armenia circa montem Cordyaeorum servari ferunt, ex qua derasi bituminis aliquid loci eius indigenae ad procurandam maxime, atque averruncandam Numinis iram gestare consueverunt. » Idem confirmat laudatus Iosephus ex testimonio Nicolai Damasceni aientis in Lib. 96 suae historiae: « Est supra Myriadem mons ingens in Armenia, Barin vocant, ad quem plerique cum diluvii tempore confugissent eos periculum effugisse narrat. Praeterea certum quemdam arca vectum ad summum montis verticem appulisse ac lignorum ibi reliquias perditu conservatas fuisse. » Simile testimonium ex Alexandro Polyhistore refert Eusebius in Chron. L. I. 3, Art. 2, 3 ubi etiam refert verba Abydeni ex eius commentariis de rebus Medorum, atque Assyriorum ubi de arca diluvii loquens ait: « navis autem in Armenia sistebat, lignoque suo salutarem medelam regionis eius incolis exhibebat. » Etiam post conversionem Armenorum ad Christi fidem quaedam consuetudines inductae sunt quae ad diluuium respicere videntur, ut ex. gr. consuetudo illa Armenorum qua in die Transfigurationis Christi Domini solent ludendi causa unus in alterum aquas effundere, et in quibusdam locis columbas e domibus emittere. Huc pertinet etiam quod legitur apud

(1) Moysis Chorenensis historia Armeniae purissima *Haicana* seu Armeniae lingua conscripta doctis Europae nota est ex variis versionibus, puta ex Latina quam fratres Whistoni Londini vulgaverunt, et ex Italica, quam Mechitaristae Veneti, curante et adiuvante Nic. Tomasseo, ediderunt Venetiis 1841.

Faustum Bizantinum Saec. IV scriptorem, persuasum fuisse Armenis Christianis reliquias arcae adhuc in monte Ararat latere, et ipsum S. Iacobum Nisibenum vehementer desiderasse eam conspiciere, cum autem itinere fatigatus montis verticem conscendere non posset angelico ministerio fragmentum arcae ei allatum fuisse, et magna veneratione non ab ipso tantum sed ab omnibus Armeniae incolis spectatum et conservatum fuisse (Hist. Armeniae L. IV, c. 10). Ut caetera omittamus extat testimonium Willebrandi Oldemburgensis in Itinerario Terrae sanctae, quod refertur inter scriptores Bizantinos Tom. XXXIII, et scriptum est initio saeculi XIII, ubi carmina quaedam antiquissima referuntur apud Armenos inventa latine reddita: inter haec sequentes versus leguntur:

Corvum perfidiae damnant animalia quaeque,  
Nuntius inclusis qui noluit esse salutis:  
Ore columba suo ramum viridantibus ultro  
Detulit ast foliis, superest hormenia (Armenia) testis.

Accedant secundo ipsa locorum antiquissima nomina, quae ad factum diluvii, et ad arcam Noe spectant. Ex hisce tria afferemus loca plus minusve a monte Ararat distantia: primus est *Erevan* parva urbs quae unius diei spatio distat ab Ararat: eius nomen Armenice significat *apparere*, vel id quod *apparuit*, et ferunt hac ratione appellatum fuisse locum quia primus fuit qui ex aquis emerit et a Moysae conspectus est (1). Secundus locus est *Agori* pagus olim situs in declivio orientali montis Ararat, quo loco dicunt Armeni vites a Noe primo plantatas fuisse, quod ipsum nomen quamvis leviter corruptum (quasi *Arguri*) non obscure insinuat teste laudato Luca Ingigian (2). Tertius locus est *Nakgavan* ab Ararat satis distans, quo in loco universalis Armenorum traditio refert Noë domicilium suum fixisse ex arca egressum. De hoc etiam Iosephus Flavius mentionem facit Antiq. L. 1, C. III, 5 inquit: « Et ipse quoque Noë cum liberis egressus Deoque sacrificans una cum suis epulabatur: hunc autem locum Armeni Apobaterion (Αποβατηριον) seu egressorium vocant » quod praeclatae voci Armenicae

(1) Vide Lucaem Ingigian: *Descriptio Antiquae Armeniae* editio Venet. 1822, pag. 455.

(2) *Geographia T. I*, pag. 260 edit. Venet. 1806.

respondet; quamvis alii in lingua Armenica periti dicant eam vocem corruptam esse ex voce *Nakievian*, quam dicunt significare *primum domicilium*, seu diversorium. Denique ipse mons ubi arca condesisse creditur ab Armenis vocatur *Massiseusar* seu *Mons Arcae*. Et haec de Armenis.

Ex his igitur apparet memoriam alicuius diluvii et paucorum hominum evasionis apud omnes gentes etiam vetustissimas et ab invicem dissitas reperiri, qui consensus philosophice explicari non potest nisi supponatur diluvium huiusmodi revera in mundo accidisse ante gentium dispersionem et populorum origines.

2° Historica monumenta hoc ipsum confirmant. Sane Ios. Flavius et Eusebius in locis alias citatis plura adducunt testimonia vetustissimorum scriptorum scilicet Berosi, Hieronymi Aegyptii, Mnaseae, Nicolai Damasceni et Abydeni, quorum nonnulla superius recitavimus. Sufficiat hic Berosi narrationem in medium afferre, quae antiquam Chaldaeorum et Assyriorum traditionem confirmat. Is itaque in 2° Libro suae historiae babilonicae (1) ita loquitur: « Kronos (2) in somnis apparuit regi Xisutro die XV mensis Dosis, eique annuntiavit omnes homines diluvio perituros esse. Ei praecipit ut principium, medium et finem omnium redigeret in scripto, et scriptum absconderet in solis civitate Sippara, simulque navigium construeret quo seipsum suosque e diluvio servaret. Xisutros in navigium contulit cibaria et magnum animalium numerum tam volatilium, quam terrestrium... tum vero aquarum effusio sequuta est: quae cum cessasset Xisutros nonnullas aves emisit, istae vero cum neque cibum invenirent, nec ubi pedem figerent ad navigium reversae sunt. Post aliquot dies Xisutros aves iterum emisit, quae regressae sunt pedibus limo obductis: tertio eas emisit, sed nunquam amplius sunt reversae. Tunc Xisutros intelligens terram aquis liberam esse foramen in navigio fecit, et vidit ipsum navigium super monte condesisse. Egreditur mox Xisutros cum uxore, filia et navis gubernatore, terram adorat, et erecto altari Diis sacrifi-

(1) Historia Berosi deperdita est sed plura eius fragmenta occurrunt apud Iosephum Flavium, Eusebium et Georgium Syncellum, ex quibus extracta sunt et simul collecta in opere: *Fragmenta historicorum Graecorum* Vol. II.

(2) Kronos erat Dens Chaldaeorum idem fortasse ac *Baal Itan* et *Zroun Medorum*.

cium offert » (Berosi Fragm. VII). Superfluum est observare narrationem istam in rerum substantia cum Mosaica prorsus convenire.

Archaeologia Assyriaca, quae nostris diebus tam ingentes progressus fecit, plura alia suppeditavit testimonia pro facto diluvii. Postquam enim docti viri clavim invenerunt scripturae quam vocant *cuneiformem*, qua innumerae inscriptiones in Oriente repertae sunt sive lapidibus insculptae, sive laterculis impressae, nonnulla testimonia reperta sunt quae mentionem faciunt de Diluvio. Prima inscriptio huius generis est illa quae appellatur *Borsippae* quae a rege Nabuchodonosor scripta est et quam docti Assyriologi interpretati sunt. In hac inscriptione haec leguntur iuxta versionem Oppert (Vid. *Annales de Philosophie Chrétienne* Novembre 1856). « Templum septem luminarium terrae (*planetarum* iuxta Oppert), quod antiquissimam memoriam turris Borsippae (Chaldaice significat *turrim linguarum*) secumfert, a vetusto rege extractum fuit: ex eo tempore quadraginta et duae generationes numerantur: verum nunquam usque ad fastigium pervenit (*turris*). Homines illam dereliquerant *inde a diebus diluvii* confuse et absque ordine verba proferentes. » Ubi aedificatio turris Babelicae, et epocha diluvii simul confunduntur ut etiam alias animadvertimus. Aliae quoque inscriptiones recentius in Assyria inventae sunt praesertim a Georgio Smith, quarum explicatio exhibetur in opusculis quae ab Anglis vulgantur sub titulo *Records of the past*, in quibus Anglica lingua exhibentur praecipua scripta in antiquis Assyriorum monumentis detecta (1).

Aliarum etiam gentium monumenta factum diluvii commemorant. Ita in Aegypto prope ruinas Thebarum Belsoni inventit sarcophagum ex alabastro formam navis referens, in quo octo figurae cernebantur, circa quas aderant plures aliae figurae ab undis maris volutae (Vid. *Monthly Magazine*, May 1825). Anno 1696 in agro romano prope Urbem fictile quoddam vas effossum est, in quo praeter alia obiecta plures figurae inventae sunt hominum et anima-

(1) Laudatus G. Smith integram seriem inscriptionum detexit et interpretatus est in quibus tota Diluvii historia diffuse et minute narratur. Harum textus originarius characteribus Assyriacis cum literali versione, et notis videri potest in *Transactions of the Society of biblical Archaeology* Vol. III, part. 2. London 1874. *The eleventh tablet of the Isdubar legend. The Chaldean Account of the Deluge*, pag. 530 seqq.

lium, ita ut totum vas arcam representasse dicendum sit: animalia bina et bina tum ad quadrupedum, tum ad volatilium, et reptilium genera pertinebant, humanae vero figurae representabantur tamquam ab alluvione fugientes. Hoc monumentum ad vetustissimam aetatem pertinere indicavit doctus Ficoroni, et post illum Franc. Blanchini in opere: *La Storia universale provata con monumenti ecc. pag. 178* qui illud minute describit et illustrat. Huc pertinent etiam nummi Apameae in Phrygia reperti, ubi representatur arca super undas vecta cum figura viri et mulieris, et columba ramum olivae ferente; in nonnullis ex his nummis legitur etiam nomen *Noe* NΩE. De his legi potest Eckhell: *Doctrina nummorum veterum*. Viennae 1793 part. I, to. III, p. 130 seq. et Ciampini: *De duobus emblematis Musaei Cardin. Carpinaci*, pag. 244. Et haec de historico argumento sufficiant (1).

II. Vestigia universalis diluvii iamdudum a physicis observata sunt, quorum argumenta hic tantummodo innuemus, pro uberiori explicatione lectorem remittentes ad scientiarum naturalium scriptores (2). Praecipua indicia suppeditant rupes quae *erraticae* vocantur, immensa copia glaciae marinae in altissimis etiam locis inventa, reliquiae animalium et vegetalium in iis locis repertae in quibus species illae non vivunt, item fossilia marina (conchylia, pisces, plantae marinae) in montibus altissimis sepulta. Verum quidem est nonnulla ex hisce explicari posse ex geologicis phaenomenis ascensionis, et emersionis terrarum (3), vel ex localibus inundationibus, attamen facta illa tam frequentia et tam generalia sunt ut in suo complexu considerata praecedentem universalem inundationem omnino exposcant. Quod placet illustris philosophi testimonio confirmare scilicet Cuvier aientis: « Si quod factum ut omnino certum in geologia haberi debet, hoc profecto est, terram nostram ante quinque mille ut minimum annos aquis coopertam fuisse » (*Discours sur les revolutions du Globe*) (4).

(1) Plura de hoc argumento dabunt recentiores critici inter quos legi potest Lambert in op.: *Le Déluge Mosaique, l'histoire et la Géologie*. 2me edit. Paris 1870. Chap. III-V.

(2) Videtis citatum opus Lambert.

(3) Aliquando enim factum est ut ex maris sinu emergerint insulae, et ingentes terrarum tractus secum ferentes conchylia, et algas marinas quae illis adhaeserant: ut vidimus in thesi praecedente.

(4) Notandum est tamen hodiernos geologos minus faciles esse in his

C. Respondetur adversariorum obiectionibus.

*Obiectio 1<sup>a</sup>* respiciebat copiam aquarum quam adversarii incredibilem esse dicunt.

*Resp.* Nullam hic absurditatem inveniri, neque ullam esse necessitatem ad novae aquae creationem confugiendi. Et sane si textus Moysis recte expendatur apparebit generalem inundationem non tantum pluviae adscribi, sed etiam terrestrium aquarum eruptioni. Duae enim haec causas Moyses clare distinguit Gen. VII, 11: « *Rupti sunt omnes fontes abyssi magna, et cataractae coeli apertae sunt* » ubi distinguuntur aquae de coelo ruentes, et aquae ex abyso erumpentes. Porro illa *abyssus magna* (hebraice *תהום רבה*) nihil aliud est in sacra Scriptura quam oceanus, et in genere collectio aquarum terrestrium. Hoc declarato quomodo ostendere possunt adversarii aquas istas tum superiores, tum inferiores simul coniunctas non sufficere ad totum orbem tegendum? Imo eas sufficientes ad hoc fuisse directe probari potest si recolatur quanam fuerit status primitivus orbis ante lucis creationem. Mundus enim representatur aquis involutus Gen. I, 2: « *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi* (immensi Oceani), *et spiritus Dei ferebatur super aquas.* » Tum vero divisae sunt aquae superiores ab aquis inferioribus per firmamentum, manente interim terra aquis cooperta et haec fuit prima divisio (ib. v. 6, 7); denique aquae terrestres congregatae sunt in *unum locum*, et tunc apparuit *arida* (ib. 9): secunda divisio. Ex quibus constat aquas initio creatas olim sufficere ad totum mundum involvendum ita ut terra nusquam appareret. Cur igitur non potuerunt iterum terram cooperire tempore diluvii Deo sic iubente, et confusione pristinae usque ad definitum tempus restituite (1)? Et

diluvii indicia admittendis. Ita ex. gr. rupes erraticae non amplius ab aquis diluvii asportatas opinantur sed potius a mobilibus glaciei massis quas dicunt olim magnam terrae partem operuisse; item formationes illas post-pliocenicas quae antiquiores *diluvium* appellaverant quia ab aquis universalis diluvii formatae putabant nunc alindeg repertae. Verum cum opiniones geologorum tam facile mutentur, nec sciamus an posteri praesentium tractatorum rationibus acquiescent, inutile non erit de his mentionem fecisse.

(1) Notandum est locus s. Petri in 2<sup>a</sup> Epist. c. III, v. 5, 6 ubi duo haec simul coniungit, aquas terram ambientes initio mundi, et easdem aquas terram inundantes tempore diluvii: « Latet enim eos, inquit, hoc volentes, quod



haec quidem per se sufficerent ad difficultatem tollendam. Verum posset ulterius inquiri quanam fuerit *immediata* huius aquarum commixtionis causa. Quamvis enim solo voluntatis nutu potuerit Deus id efficere, verosimilius tamen videtur cum mediante aliqua naturali causa id praestitisse. Itaque variae sunt in hac re doctorum hominum, et interpretum hypotheses. Nonnulli, ut Whiston, totam rem ex transitu cometæ explicarunt, quæ ingentem aquei vaporis copiam attraxerit qui in aquas conversi terram inundarunt. Verum hæc hypothesis nimis ingeniosa videtur, nec satis cum natura et effectibus cometarum cohaerens. Alii quidem phaenomenon repetunt ex repentina suspensione motus rotatorii telluris, quo factum est ut aquae maris ob præconceptum motum super terram effusæ fuerint, dein vero, statim restituito motu rotationis, in suum alveum redire non potuerint. Bergier idem phaenomenon attribuit subitæ inclinationi axis telluris. Duæ postremae hypotheses quamvis absurdæ non sint nimis tamen gratuita videntur, et prodigia multiplicat sine necessitate. Accedit quod ex tam subita legum naturæ suspensione ac revolutione fortasse etiam arca cum hominibus et animalibus disiecta ac perita fuisset. Quare plures alii existimant ex sola vi ventorum ac terraemotuum terrestres aquas ex suis alveis effusas fuisse, alias quoque ex subterraneis receptaculis magno impetu erupisse super terram, elevato etiam alicubi marium ac fluminum imo fundo eorumque aquis in circumstantes terras refluentibus, quæ coniunctæ cum copiosis imbribus totius orbis inundationem effecerint. In hac hypothesi nihil absolum aut incredibile inducitur. Aquas enim sub terræ superficie in magna copia collectas existere omnes sciunt, terraemotus prima illa mundi ætate vehementissimos et frequentes fuisse, ita ut telluris crustam saepe dirumperent, omnes geologi admittunt, itemque terrarum ascensiones; ventos denique validissimos tunc locum habuisse ipse narrationis contextus suadere videtur, cum per vehementem ventum dicit aquas diluvii imminui coepisse, et paulatim cessasse (Gen. VIII, 1). Quare in hac hypothesi omnes istæ causæ alioquin verosimiles ex speciali Dei voluntate simul coniunctæ et ad maximam intensitatem elevatae diluvii facto explicando sufficerent. (V. Pianciani op. cit. et Calmet Comm. in Gen. VII, 11).

coeli erant prius, et terra, de aqua, et per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus inundatus perit. »

*Obiiciebant 2°* finem diluvii non requirere generalem totius orbis submersionem, cum homines, ad quos perdendos immissum est, intra fines Orientis continerentur.

*Resp.* Imprimis finem diluvii non fuisse ut homines tantum destruerentur, sed etiam animalia, ut expresse dicitur Gen. VI, 7, 13, 17 et VII, 21, ubi assertur non solum homines aquis diluvii perituros esse, sed omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter coelum omniaque animantia, volucres, bestias, reptilia reapse perissee. Ipsa iussio servandi omnium animalium species in arca (VI, 19, 20; VII, 2, 3) prædictum finem evidenter supponit. Iam vero quis unquam crediderit animalia post tot sæcula adhuc in solo Oriente fuisse? Non solum enim in variis mundi partibus a Deo creata fuisse videntur, sed etiam postea ex una in aliam regionem facile migrare potuerunt (1).

Verum etiam de hominibus tantum sermo sit, unde nam sciunt adversarii homines diluvii tempore in solo Oriente extitisse? Id sane inverosimile videtur cum hominum numerus ingens omnino esset, et probabilius maior quam nunc sit. Ex una enim parte robustiores homines erant et foeminae fecundissimæ quemadmodum ex ipsa Genesi apparet, ex alia vero parte vita humana diutissima erat ita ut novis generationibus hominum supervenientibus præcedentes non recederent, quare multæ simul generationes, fortasse sex vel septem, terram habitabant. Tantus igitur hominum numerus non in sola Asia coarctatus fuisse videtur sed in aliis etiam mundi regionibus diffusus. Confirmantur hæc ex fossilibus humanis vetustissimis, et ut adversarii loqui amant *præhistoricis*, quæ non tantum in Asia sed etiam in aliis mundi partibus et in ipsa America reperta sunt.

*Obiiciebant 3°* vestigia diluvii non ubique inveniri et in America prorsus deesse. Respondemus id falsum omnino esse si imprimis de America loquamur: quod enim Voltairius ex ignorantia negabat a doctoribus et melioribus testibus affirmatur et propriis observationibus demonstratur. Ad Americam Septentrionalem quod

(1) Ad homines quod attinet scimus duos tantum immediate a Deo formatos fuisse unde cæteri orti sunt, sed animalia magno numero producta dicuntur et absque loci determinatione Gen. I, 24, 25: « Producat terra animam viventem in genere suo, iumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. »

attinet id inter caeteros testantur auctores historiae Pennsylvaniae qui copiose tractant de pluribus conchyliorum fossilium speciebus reperitis in montibus Pennsylvaniae, Virginiae, Marylandiae et alibi (Vid. *Recherches philosophiques* Tom. 1<sup>o</sup> pag. 24 seqq. 143 seqq.). Idemque in Canada, praesertim prope Quebec observatum est. Lyell plures species enumerat ibi repertas conchyliorum quae ad Oceanum Septentrionalem pertinent. Idem dicendum est de aliis Americae Borealis provinciis Britannicis, Canada Superiore, Nova Scotia etc. (Vid. Bigsby: *Transactions of the Geol. Soc. of London*. 2<sup>na</sup> series Vol. 1<sup>o</sup> pag. 175). Accedit argumentum ex rupibus *erraticis* commixtis cum arena et glarea quae passim in Statibus Foederatis reperiuntur in terris alluvialibus quaternariis, et praecipue ad ripas lacus Superioris, in Statibus Michigan, New York, Vermont, Massachusetts, Maine, Pennsylvaniae, Ohio, Indianae, Illinois, et Iowa. Huiusmodi agglomerationes alluviales super totam plantiæm ubique extenduntur, et in lateribus montis Washington ad 1800 metr. ascendunt, et ad 600 metr. circa latera montium *Viridum*. Praeterea ibidem occurrunt plura fossilia animalium quae ad alias regiones pertinere dignoscuntur. Si ad regiones Americae Meridionalis transeamus eadem facta observantur in altissimis montibus Peruvianis, et Chilensibus, ubi plures conchyliorum species reperiuntur. Quare falsum omnino est huius catastrophes nulla in continente Americano inveniri vestigia. Si quaedam occurrunt loca ex. gr. insulae quaedam, ubi haec notata non sunt, id repeti potest vel ex defectu observationum, vel ex terrarum illarum novitate. Quae tamen novitas licet in quibusdam casibus admitti possit, scilicet ob soli ascensionem, absurdum tamen esset ex alia parte omnia phaenomena superior indicata in regionibus occidentalibus ex eadem causa explicare. Quod autem addebant adversarii de successiva maris transmigratione merum commentum est. Siquidem ex historia constat post epocham diluvii terram habitabilem plus minus eandem semper fuisse, et eosdem marium et Oceani limites, ut apparet ex. gr. ex litoribus, et ex portibus marinis a vetustissimis scriptoribus memoratis, qui nunc in iisdem locis conspiciuntur. Sicubi aliter factum est ex. gr. Ravennae, Foro Iulii etc. id exceptionis loco habendum est, quia, ut dicebamus, generatim maritimae urbes et portus etiam multo antiquiores uti sunt Tyrus, Sidon, Iapha (Ioppe), Corinthus etc. adhuc suum locum tenent. Quapro-

pter concludendum est argumentum ex vestigiis diluvii desumptum sua vi carere.

*Obiiciebant* 4<sup>o</sup> immensam hominum multitudinem quae paulo post diluvium mundum incolebat. Respondemus hanc multitudinem ab adversariis exaggerari, nec ad eam probandam sufficere assertionem cl. Freret et Ab. Lenglet ab eo citati. Quinimo incredibile prorsus est 20,000 urbes paulo post diluvium in Aegypto fuisse cum aliunde constet ante quadringentos post diluvium annos Aegyptiacam gentem fere solum delta Nili habitasse, et etiam cum superior Aegyptus florentissimum constitueret regnum tota Aegyptus, quae satis angusta regio est, vix octo millia urbium et pagorum contineret. Quare id etiam inter commenta amandamus.

*Obiiciebant* 5<sup>o</sup> circumstantias de columba ab arca dimissa, et ad eam reversa cum virenti ramo olivae. Respondemus nihil prorsus inverosimile in hoc facto inveniri: falsum est enim quod adversarii obiiciebant in Armenia oleas non crescere. Huius rei testem damus Strabonem qui Cappadox erat, seu Armeniae regioni proximus, ita de Armenia scribentem: « Tota haec regio fructibus et arboribus abundat mansuetis: oleae etiam ferax est » (1). Verum quidem est Tournafortium (2) a Voltairio citatum id negare, sed eum deceptum esse recentiores itineratores et indigenae Armeni testantur. Caeterum etiamsi verum esset hodie in illa regione oleas non reperiri inde concludi non posset eas ante diluvium non exstitisse: notum est enim regionum feracitatem decursu saeculorum immutari, ut patet ex. gr. ex comparatione facta inter agrum romanum hodiernum cum antiquo, et inter praesentem Palaestinae cum pristino eius statu qui in libris V. T. describitur. At enim, inquit, quomodo poterant arbores sub tanta aquarum mole integro anni spatio vivere ita ut subsidentibus aquis possent virentes rami a columba inveniri? Respondemus imprimis aquas imminui coepisse post 150 dies (Gen. VIII, 3), ita ut cum columba sub finem duodecimi mensis emissa est arbores iam aliquod tempus extra aquas saltem in montibus existerent. Deinde quaedam arborum species etiam sub aquis crescere et virere possunt, et inter caeteras oleae. Sane Plinius Hist. Nat. lib. III, Cap. 23 testatur: « In mari rubro sylvas virere, laurum maxime et *olivam ferentem bac-*

(1) Strabonis *Berum Geographicarum* lib. XVII.

(2) Tournafort: *Voyages*. Lettre 7, To. III, p. 191.

cas. » Haec de columbae historia sufficiant, in qua necessarium non videtur prodigium agnoscere ut placuit S. Ambrosio (Lib. de Arca c. 49): quamvis speciale Dei consilium in eo facto libenter admittamus, ut scilicet Noë de tempore opportuno egrediendi ex arca certior fieret. Haec circumstantia de ramo olivae a columba allato in plurimum gentium traditionibus conservata est, et inde fortasse originem habuit consuetudo apud varios populos existens ut olivae ramus pro pacis symbolo habeatur.

*Obiiciebant 6°* de iride, quae a Deo creata dicitur in signum promissionis non iterandi diluvium (Gen. IX, 13 seq.). Respondent nonnulli iridem revera non fuisse ante diluvium sive quod pluviae nunquam in terram caderent, sive quia alius esset solis ad terram respectus. Verum haec verosimilia non sunt. Concedamus igitur vere iridem apparuisse in coelo ante diluvium, tanquam phaenomenon naturaliter productum a solis radiis per pluviam refractis; verum illud quod antea nihil significabat postea coepit esse signum praedictae divinae promissionis. Possunt enim assumi, et aliquando etiam inter homines assumuntur ad rem aliquam significandam etiam ea quae iam existunt et nota sunt. Simile exemplum occurrit Gen. III, 14, ubi in signum detestationis serpenti indicitur: « Super pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus diebus vitae tuae » quamvis hoc serpenti naturale sit, et etiam ante maledictionem fieri debuerit. Huius specialis destinationis iridis vestigium occurrit in poetarum fabulis ubi Iris tanquam Deorum ministra repraesentatur: quinimo apud Homerum expresse dicitur esse signum inter Deos et homines.

*Obiiciebant 7°* homines et animalia post diluvium nec vivere nec propagari potuisse in omnes mundi partes. Sed frustra omnino: nam ad vitam quod pertinet satis erant ad cibum animalium ea quae in terra reperta sunt, cuius multae partes iam a pluribus mensibus liberae et ab aquis immunes permanserant, ideoque herbas et fructus praebere poterant. Nec quidquam valet quod de cadaveribus addebant adversarii: cum in toto duodecim mensium spatio omnis putrefactio, et omne pestilentiae periculum ex aquarum vi ac perpetuo motu sublatum fuisset. Denique de propagatione specierum earumque diffusionem per varias mundi plagas in praecedenti Thesi satis dictum est, ubi vidimus varias fuisse vias quibus poterant homines in remotas etiam regiones Oceaniae et Americae

immigrare. Si autem homines cur non etiam animalia? Ab ipsis enim hominibus poterant asportari, ut saepe postea factum est, et adhuc fit. Vel etiam per se poterant vel natando in insulas pervenire, vel vi tempestatum illuc deferri, vel super ingentes glaciales massas, quas scimus etiam nunc frequentissime a polaribus regionibus avulsas oceano innatare, et non raro ursos viventes secum ferre et ad remotas oras adducere. Sufficiebat autem ut pauca individua eiusdem speciei in aliquam regionem appellerent ut brevi temporis spatio species illa propagaretur, quemadmodum constat exemplo in superiori Thesi adducto de animalibus domesticis ex Europa in Americam delatis.

Et haec satis sint de facto diluvii.

*Pars II.* De Arca Noë eiusque adiunctis.

Proferendae nunc sunt et solvendae difficultates satis speciosae et graves quae arcam Noëticam respiciunt.

A. Proponuntur obiectiones contra historiam Arcae Noëticae.

*Obiic. 1° de aedificatione arcae.* Opus tam ingens ac perfectum non potuisset a rudibus illis hominibus perfici. Crescit difficultas ex eo quod Scriptura innuat Noë solum cum filiis tantum opus absolvisse: caeteri enim homines quin eum adjuvarent potius ut fatuum irridebant (1° Pet. III, 20; Matth. XXIV, 38, 39).

*Obiic. 2° de forma arcae* quam dicunt talem describi in textu Moysi ut navigationi prorsus inepta esset, ita ut vel submergi, vel impetu fluctuum quassari debuert.

*Obiic. 3° de capacitate arcae.* Impossibile enim est, inquiunt, in arca (cuius dimensiones accurate notantur Gen. VI, 15) omnium animalium species, quae poene infinitae sunt, et quidem ex multis speciebus quatuor et ex aliis pluribus quatuordecim capita, praeter octo homines contineri potuisse (VII, 2), quinimo praeterea etiam escas tum pro animalibus tum pro hominibus in tanta copia ut integro anno sufficerent (VI, 21). Cui ingenti cibarium cumulo addendus est numerus haud exiguus aliorum animalium, quae inservire debebant cibo belluarum carnivorarum, item magna copia aquae potabilis. Et haec omnia in una arca, seu navi.

*Obiic. 4° de introductione animalium.* Quomodo enim, inquiunt, potuisset Noë omnes species animalium sibi comparare, etiam ea quae in Oriente non existebant, etiam ferocia, aut illa immensae molis quae nunc amplius non reperiuntur? Quomodo iis tam facile

dominari potuit ut paterentur se in arcam induci, ibique veluti in ergastulo tanto tempore detineri?

*Obic. 3<sup>o</sup> de vita animalium et hominum in arca.* Quomodo, inquit, vivere poterant animalia et homines in tam angusto spatio inclusa uli certe aëris et lucis defectus mortem attulisset, praesertim cum dicatur unam tantum parvam fenestram (VI, 16) in arca fuisse? Quomodo poterant octo homines tot animalium curam gerere? Accedit quod quindecim cubitis supra altissimos montes, quo aquae diluvii cum arca ascendisse dicuntur deest prorsus spirabilis aër.

Ex hisce concludunt totam narrationem de Arca Noëtica absurdam et fabulosam esse.

B. Expenduntur difficultates superius propositae.

Quae ab adversariis prolata sunt quamvis primo aspectu gravissima videantur possunt tamen rebus bene perpensis dissolvi quemadmodum a Pelletier, Buteo, Pererio aliisque doctis viris tum catholicis tum protestantibus factum est, quorum responsiones et argumenta data occasione citabimus. Itaque

*Resp. ad 1<sup>am</sup> de aedificatione arcae.* Homines ante diluvium rudes fuisse in arte aedificandi adversarii gratis affirmant. Unde enim probare possunt praeceos homines per tot saecula robustis viribus, et voluptatum vitae desiderio impulsos nullos progressus in artibus fecisse? Profecto diu ante diluvium variarum artium origines narrantur a Moysen (Gen. IV, 20-22) quas deinceps excultas et perfectas fuisse credendum est. Quamvis omittendum non sit iuxta Moysen totius arcae structuram, dimensiones, ac divisiones ab ipso Deo determinatas fuisse; quare nihil aliud Noë eiusque filiis praestandum fuit quam exemplar illud fideliter sequi. Quod autem secundo loco aiebant totum opus a quatuor illis viris perfici non potuisse in falsa suppositione innititur. Siquidem procul dubio Noë Patriarcha plures adiutores adhibere potuit, qui eius iussibus parebant: nec contrarium ostenditur ex locis citatis (1 Pet. III, 20; Matth. XXIV, 38, 39 etc.); ibi enim de hominibus illius temporis generatim sermo est, non vero de illis qui unam veluti familiam cum Noë eiusque filiis constitutebant, eisque subiecti erant: aliunde autem generales illae phrasae exceptiones minime excludunt. Denique recolendum est in arcae aedificatione fere centum annos insumptos fuisse; quapropter tempus etiam exiguo artificio numero abunde sufficebat ad opus absolvendum.

*Resp. ad 2<sup>am</sup> de forma arcae.* Verum quidem est dimensiones arcae accurate describi, nec non etiam formam superioris partis et tecti: sed praecisa eius forma praesertim in inferiori parte, quae aquis insistere debebat, minime exprimitur in sacro Textu. Quo igitur iure affirmare possunt adversarii arcam navigando ineptam fuisse? Quid enim si inferior pars recurva fuerit et navigii formam gereret? Praeterea scopus et officium arcae Noëticae non tam fuit navigare, quam super aquas consistere, iisque tantum innatare, quod videmus praestari posse etiam a navigiis absque carina, et aequo planoque fundo instructis (zattere). Denique ad pleniorum obiectio- nis refutationem invabit exemplum afferre viri militaris et de nimia credulitate non suspecti scilicet Thévenard, qui insitutus calculi ostendit arcam Noëticam aptissimam fuisse officio ad quod constructa fuerat (Vid. *Memoires relatives à la marine* tom. VI, pag. 253, ann. 1800).

*Resp. ad 3<sup>am</sup> de capacitate arcae.* Fatemur hanc esse praecipuam ex adductis difficultatibus, quam tamen solvere parati sumus sequentes praecipue superius laudatos auctores qui hoc argumentum ex-professo, uti aiunt, pertractant (1).

Ut responsio clarior ac plenior sit haec tria nobis declaranda sunt 1<sup>o</sup> quatenam fuerint praecisa capacitas arcae, 2<sup>o</sup> quatenam rerum quantitas et moles quae in ea inclusae fuerunt, 3<sup>o</sup> quatenam rerum distributio et utrum omnia suis locis intra arcam contineri potuerint. Quod pertinet 1<sup>o</sup> ad internam capacitatem ante omnia recitandus est Moysi textus, et notandae mensurae ibidem adsignatae. Itaque Gen VI, 15, 16 Deus Noë praeci- piens arcam aedificare de lignis laevigatis (2), ita mensuras proposuit: « *Et sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum la-*

(1) Praeter Thévenard loc. cit. hanc questionem fuso tractarunt Buteus Anglus, Wilkins, Natalis Alexander *Historia Eccles. Veteris Testam.* to. I, Dissertat. X: et praeter ceteros Io. Le Pelletier: *Dissertation sur l'Arche de Noë.* Rouen 1700, quem recentiores fere omnes sequuntur.

(2) Pro lignis laevigatis textus Hebraicus habet lignis gopher גֹּפֶר, quae vox cum in uno hoc loco occurrat variis modis explicata est. Itaque LXX verterunt *quadratis carypanov*, Paraphrastae Chaldaei et alii lignis cedrinis, Syrus *flexilibus*, Bochartus vult esse *cupressum*, alii abietem vel pinum. Verosimilius videtur hic indicari in genere arbores resinosas navibus extruendis aptissimas, ut ipse Hieronymus innuit in lib. quaest. Hebraic. in Gen.